





~~III~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-19.*

SIGNAT. ciobccccxiii.

*theol. Vol. 40*

*einzelner verzeihelt 30/3. 1915.*

I.  
II.  
III.  
IV.  
V.  
VI.  
VII.  
VIII.  
IX.  
X.  
XI.  
XII.  
XIII.  
XIV.  
XV.  
XVI.  
XVII.  
XVIII.  
XIX.  
XX.  
XXI.  
XXII.  
XXIII.  
XXIV.  
XXV.



11  
22

DISPUTATIO THEOLOGICA;  
*De*  
**FIDE VIVA  
ET MORTUA,**

*ex*  
Jacob. II. v. 17. 20. 26.

*Quam*  
*Auspice DEO Gratiſo,*  
PRÆSIDE

*VIRO, Maximè Reverendo, Ampliſſimo atq̃  
Excellentiſſimo*

**DN. SEBASTIANO SCHMIDIO,**  
SS. Theologiæ Doctore & Prof. Ordinario, Cele-  
berrimo, Conventus Eccles. Præſide Gravis-  
ſimo,

*Dn. Patrono, Præceptore & Promotore ſuo multis no-  
minibus ſuſpiciendo, venerando,*  
SOLENNITER defendet

**M. JOHANNES GEBHARDUS,**  
Campidonenſis.

*Ad diem Maji, b. lq̃ ſ.*

---

ARGENTORATI,  
Typis JOHANNIS WILHELMI TIDEMAN,  
ANNO M. DC. LXIX.



DISPUTATIO THEOLOGICA

FIDE VIVA  
ET MORTUA

Jacob H. v. 1710

Amstelredamum

DR. SEBASTIANO SCHMIDIO

Magistro et Professore Theologiae, Cels.

ordinario, Universitatis Gronovae

Dr. Theob. Schroederi Praeceptoris

Magistri et Professore

M. JOHANNIS GUALTHERII

Magistri et Professore

Magistri et Professore

IN VINDOBONA

ATQUE





11  
33  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
FIDE VIVA ET MORTUA,

Ex  
Jacob. II. v. 17. 20. 26.

§. I.

**D**E Fide Vivâ & Mortuâ, cum bono DEO, brevem <sup>prosumimus</sup> suscipiemus meditationem. Materia sanè larga satis, & difficilis simul est. Sed quemadmodum aliàs in Disputationibus Academicis non copiae materiae, de quâ agitur, in prolixitate tractationis indulgere licet, sed desiderio Defendentium gratificandum est: ita hujus quoque nostrae meditationis mensura nobis inde sumenda fuit. Nemo itaque mirabitur, si Autores aut Commentatores, qui de Vivâ & Mortuâ Fide aliquid scripserunt, multos non citabimus, vel eos etiam, quibus cum aliis disputatum, omitemus. Difficultatem porrò rei faciliorem nobis reddiderunt ii, qui in verâ sententia inquirenda & proponenda, pridem præverunt: quibus sive parçè allegatis, sive prorsus omisis, sua nihilominus laus per nos constabit, apud doctos satis nota. Juvet nos, sine quo nihil scimus, Jesus Christus, Dominus noster Amen.

§. 2. Fidei Mortuae, in termino terminante, ut loquuntur, nemo in *Fidei mor-* Scriptura mentionem facit, præter D. Jacobum Apostolum. Qui Cap. II. *tu.e in Scri-* Epist. v. 17. scribit; Πίσις ἐὰν μὴ ἔργα ἔχη νεκρὰ ἴσθι καὶ ἑαυτὴν, *Fides nisi* <sup>ptura me-</sup> *opera habeat, mortua est secundum seipsam.* Et v. 20. Θέλεις δὲ γινῶναι, *Ap. Jaco-* ὡς ἀνθρώπου κενὸν, ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρὰ ἴσθι; *vis verò scire, ὁ ho-* <sup>bis. Cap. II</sup> *mo vane, quod Fides sine operibus mortua sit?* Et vers. ult. ὡς περὶ τὸ σῶμα *Ep. v. 17. v.* <sup>20. v. ult.</sup> *χωρὶς πνεύματος νεκρὸν ἴσθι, ὅτι καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρὰ ἴσθι: Quemadmodum enim corpus sine spiritu mortuum est, sic fides sine operibus mortua est.* Sed fidei vivae terminum terminantem usquam in Scriptura haberi non meminimus. Ex fide tamen mortua, quam D. *Unde Fides* <sup>viva] infer-</sup> *Apostolus in allegatis verbis habet, è contrario Fidem vivam sequi &* rectè inferri, omnes fatebuntur, ita ut dicendum porrò nobis sit; ἡ πίστις, *tur.* *ἐὰν ἔργα ἔχη, ζῶσα ἴσθι καὶ ἑαυτὴν: Fides si opera habeat, viva est secun-* *dum seipsam, ἡ πίστις σὺν τοῖς ἔργοις ζῶσα ἴσθι: Fides cum operibus est viva.* ὡς περὶ τὸ σῶμα σὺν πνεύματι ζῶν ἴσθι, ὅτι καὶ ἡ πίστις σὺν τοῖς ἔργοις ζῶσα ἴσθι: *Quemadmodum corpus cum spiritu vivum est, ita etiam fides cum ope-* *ribus viva est.*

A 2

§. 3. Ob-



*Abutuntur  
vero Pontificii ad justificationem  
per opera, cum audenti, sed vanâ  
gloriatione.*

*Quod ostenditur ex  
Bellarm. de Justif. l. 1.  
c. 15.*

*Estius ad Jac. II, 8.  
27.*

§. 3. Obnoxius verò hic est *abusui Pontificiorum* Apostolus noster Jacobus: qui, quantopere, quasi suæ de justificatione per operum merita causæ totus faveat, glorientur, vulgo notum est. Sed reverâ vana gloriatio hominum est: cum ne quidem suis cum hypothésibus Apostoli verba conciliare queant, ut infra patebit. Hunc in finem aliquos ex illis Autores, horumq; expositiones adferemus; postea, quomodo cum verbis Apostoli conveniant, videbimus.

§. 4. Breviter autem rem complectitur *Bellarminus* de *Justificat.* lib. I. Cap. XV. §. ad Quartum. Ubi *Fides*, inquit, *dicitur mortua, non quomodo homo dicitur mortuus, qui post mortem non est, sed quomodo corpus dicitur mortuum, quod post mortem est, sed non vivit. Vita enim non est de essentia fidei, quemadmodum est de essentia hominis; sed per metaphoram dicitur fides viva, cum operatur, mortua, cum non operatur: sicut etiam aqua dicitur viva, quæ continuo fluit, ut in fonte & fluviis, mortua, quæ non movetur, ut in stagnis & paludibus: cum tamen utraq; verè propriè sit aqua. Ita Bellarminus.*

§. 5. Cujus verba non minùs, quam ipsa Apostoli Jacobi dicta, exponere prolixius, & operosè amplificare dicendi erunt Commentatores Pontificiorum saltem plerique; nominatim verò *Estius* & *Justinianus*, quos propterea, ut Bellarminum magis illustremus, & quomodo cum illo D. Jacobi verba incorruptum sensum trahere conentur, ostendamus, adducemus. *Estius* itaq; ad v. 17. Apostoli, ita commentatur: *Cæteram comparationis hæc summa est; quemadmodum verba illa divitis ad pauperes, ite in pace, &c. verba quidem sunt, sed pauperibus nihil conferunt: ita fides, nisi opera habeat, fides quidem est, sed habendi non prodest; utpote mortua, quia solitaria. Non ergo fidem absq; operibus mortuam vocat, tanquam revera fides non sit, sed quia vita caret charitatis ac bonorum operum, sine quibus ad salutem nihil prodest. Justinianus autem hæc annotat. Redditio est atq; accommodatio similitudinis: dixerat enim supra, fidem non prodesse, nec per se adferre salutem, si honestis atq; laudabilibus actionibus destituatur; id probare cæperat similitudine ducta à divitibus, qui pauperes & indigentes verbis solantur, ope non sublevant, quemadmodum enim, inquit, divitum verba, quibus quotidiano victu egentes vacuos dimittunt, nullam neq; pauperibus utilitatem nullumq; divitibus compendium afferunt, non aliter fides, quæ operibus caret, quasi ex anguis ac mortua, nullum potest emolumentum afferre. Dicit autem: Fides si non habeat opera: dicitur enim fides habere opera, quæ cum legis ad divinorum præcepto-*

*rum*



vum observatione conjungitur; ea autem operibus caret, quæ otiosa est & languida, qualem heretici prædicant, quæ merito dicitur mortua in semetipsa, hoc est, carere vitali principio, unde actiones honestæ ac laudabiles manare solent. Sic enim ferè rectè loquentium usu receptum est, ut ea, quæ actiones sibi congruentes exercent, seu propriè, seu metaphoricè vivere dicantur; herba enim ac planta, quæ opportuno tempore virescunt, frondes, flores ac fructus proferunt, vita prædita dicuntur, & quidem propriè, cum vegetante anima constant. Aquam vero, quæ à fonte manans continenter fluit, ac labitur, metaphoricè viva nuncupatur, ut à stagnantibus aquis distinguatur. Non aliter Jacobus fidem vivam, actuosam & bonarum actionum effectricem appellat: contra vero mortuam in semetipsa, quæ operibus destituatur.

§. 6. Jam ad v. 20. Apostoli Estius hæc habet: *Vocat autem mortuam* & ad v. 20. *sine operibus fidem, non quod revera fides non sit, sed mortuum fidei simulacrum, ut exponunt sectarii: verum idcirco quod otiosa sit, ut habebat altera lectio, hoc est, quod actione & motu careat. Ex his enim vita aestimari solet. Agitur autem, & movetur, atq; exercetur fides, à charitate per bona opera: proinde sine his mortua reputatur. Ipsum autem hominem inanem appellat, id est bonis operibus vacuum.*

§. 7. Ad vers. 26. Estius hæc commentatur: *aptissima similitudine con-* nec non ad *cludit suam de fide & operibus doctrinam. Spiritum intelligit, non halitum* vers. 26. *seu flatum, ut vult Cajetanus, sed animam. Nec adeo parum apta videri poterit hæc Apostoli comparatio; quod veretur Cajetanus, hæc ratione motus, quia opera non sunt forma fidei, sed effectus quidam concomitantes; anima vero forma est corporis. Respondetur enim, Apostolum opera considerare in sua radice, id est, in bona voluntate seu charitate, quæ forma est fidei, sicut anima corporis. Sentit enim fidem operandi voluntate destitutam mortuam esse; sicut corpus anima privatum mortuum est. Et observa, non dicere Apostolum, sicut homo sine Spiritu mortuus est; sed, sicut corpus sine Spiritu mortuum est. Unde evanescit hereticorum objectio, homo mortuus non est homo, sed cadaver hominis; ergo fides mortua non est fides, sed quoddam fidei cadaver. Non enim comparat Jacobus fidem mortuam, cum homine mortuo, sed cum corpore mortuo. Sicut ergo corpus mortuum verè & propriè corpus est; ita fides mortua verè & propriè fides est. Neg, enim magis in ratione fidei continetur charitas, quam in ratione corporis anima: sed sicut anima perfectio corporis est, ita charitas perfectio fidei. Proinde ex hac ipsa similitudine Apostolicâ, quam sectarii nobis objiciunt, optimè*



statuitur illa, non Scholastica modo, sicut eam vocant, sed Catholica di-  
 stinctio fidei in informem & formatam. Est enim fides informis Apostolo,  
 velut corpus inanime, & fides formata velut corpus animatum. Sic ergo  
 utriusque vera fides; sicut utriusque verum corpus. Quin etiam sequitur, con-  
 tra quosdam Catholicos aliter opinantes, quemadmodum idem numero cor-  
 pus est nunc vivens nunc mortuum: sic eandem numero fidem esse nunc ani-  
 matam charitate, nunc sine ea mortuam. Ubi tamen notandum, ex sen-  
 tentia Apostoli non esse fidem mortuam in bono catechumeno, & infideli  
 penitente, dum per bona opera dignosque penitentia fructus aspirant ad  
 gratiam baptismi vel reconciliationis. Non enim est illa fides sine operibus,  
 quam solum Apostolus mortuam vocat. Vivens igitur est atque formata;  
 etsi nondum illa charitate, quae est amicitia hominis cum DEO; tamen eam  
 saltem, quae DEUS tanquam justitiae fons, & quidem sicut oportet, diligi-  
 tur: uti loquuntur Patres Synodi Tridentinae. Quae observatio necessaria  
 est, ad plenam intelligentiam distinctionis, quae secundum Scripturas agno-  
 scenda est inter fidem formatam & informem, id est, vivam & mortuam:  
 ne fidem hominis nondum justificati, sed per opera penitentiae sese parantis  
 ad justitiae donum accipiendum, pro mortua reputemus; verum nec otiosa  
 quidem dicenda sit eiusmodi fides, sed operosa, ne sub eadem fide comprehensa,  
 quae per charitatem operatur; Ideoque in Christo Jesu valet Gal. 5. quanquam  
 respectu Charitatis justificantis, quae amicitia cum DEO est, & ab isto non-  
 dum habetur, informem eam dici posse non negamus. Haec Estius. Simili-  
 ter Justiniano ad eund. v. 26. Quod, ait, non semel hoc capite docuerat  
 (Jacobus) fidem absque operibus inanem, ac mortuam esse, nunc in calce al-  
 lata similitudine confirmat. Sumpta est autem similitudo à corpore animali,  
 quod sine Spiritu mortuum est. Quoniam autem graece legitur *ἢ ὡς τὰ ζῷα*  
 sunt, qui existiment eam voce significari flatum seu Spiritum, quem animalia  
 respirando ducunt. Quemadmodum enim nisi respiceret animal, mortuum  
 est: ita fides, nisi bonas ac laudabiles actiones proferat, censenda est mor-  
 tua. Id propterea, credo, viri docti asseruerunt, ne haereticis concederent,  
 Apostolum loqui de umbra seu imagine fidei, ut, quemadmodum animal, si  
 careat anima, verè non est, nec dici potest animal: ita fides informis vera fi-  
 des nec esse nec dici possit, cum res qualibet à sua forma naturam atque ap-  
 pellationem sortiatur. Sed nihil erat, cur tanto opere formidarent: neque  
 enim Apostolus ab animante similitudinem sumit, sed à corpore, quod, quam-  
 vis formam corporis, hoc est, illam membrorum ac partium conformatio-  
 nem ac nexum retineat, si tamen careat anima, mortuum est, ac dicitur;

Justiniano  
 ad v. 26.

non



non aliter fides ab operibus adulsa, tametsi retineat eam formam, qua intimè pertinet ad fidem, eamq; in suo genere constituit, rectè tamen informis ac mortua nuncupatur, quia Spiritu & vita charitatis destituitur. Charitas enim, ut acutè Theologi probant in Scholis, est virtutum omnium extrinseca forma vim meriti singulis tribuens. Ac propterea quæcunq; fiunt absq; charitate, merito à Theologis mortua nuncupantur. Itaq; crediderim nomine Spiritus animam ab Apostolo significari, ut similitudo ducta sit, non ab homine seu animali, sed à corpore, quod ut dixi, si careat anima, corporis quidem appellationem ac naturam retinet; est tamen penitus expers vite, ut persimili ratione sentiendum, & loquendum sit de fide, quæ sine operibus vera quidem, ac propria fides est, sed quodammodo exanguis, & mortua. Nec mihi quisquam in presentia philosophicas argutias objiciat, & novam quandam corpori mortuo cadaveris formam advenire contendat: atq; adeò non propriè corpus, sed cadaver nuncupandum esse. Neg; enim tantà subtilitate Apostoli similitudo eget, qui non Philosophorum more, sed vulgi consuetudine loqui maluit, & mortuum corpus, quæcunq; tandem forma constet, corporis nomine significavit, quo ne à philosophica quidem aut mathematica loquendi ratione omninò recessit, quod enim trina dimensione continetur, Mathematicis corpus dicitur, & si solida materia constet, etiam apud Philosophos inter vera corpora recensetur. Hactenus etiam Justinianus.

§. 8. Contenti erimus hisce Pontificiorum Scriptoribus: nisi quod de dissensu, cujus tam Justinianus quam Estius meminerunt, circa Spiritum, hoc quod Primum notamus, addendum est, quod non solus Cajetanus sit ab Estio nominatus, qui Spiritum de flatu seu halitu interpretatus est, sed cum eo plures, tum ante Cajetanum, tum post illum. Ideò videtur Justinianus in plurali prudens locutus esse, & viros doctos appellasse. Simul verò & hoc observatu dignum, quod res adeò intricet Pontificios, ut quidam, utrum eligant, nesciant, ideo vel disjunctivè loquantur, vel utrumq; jungant, & neutrum negandum saltem putent. Ita Lorinus disjunctivè loqui maluit, nec in Cajetano ferè quicquam aut magis reprehendit, nisi quod uno posito seu affirmato alterum negavit. Quomodo Estius & Justinianus notam Lorini non minus merebuntur. Ita autem Lorinus; vis comparationis in eo consistit, quod quemadmodum cum abest à corpore anima, vel flatus, halitus, respiratio, jacet corpus mortuum, omniq; vita & vite operationis destitutum: sic absente operatrice bonorum operum charitate, aut operibus, quæ habeant similitudinem

Ubi quidè  
1. notatur  
aliquis Pon-  
tif. dissensus  
Cajetan.  
Est.  
Justiniano.

Lorino.

vitalium



vitalium functionum, remanet quidem fides, sed veluti ex animis, exanguis mortua, nullum vera vite signum edens. Et postea: Potest quidem per Spiritum intelligi spiratio, halitus, flatusque vite, quâ cessante cessat vita, moriturque animal, negari tamen cum Cajetano non debet, animam non significari. Nec satis placet, quod addit, fidem sine operibus mortuam esse, quoniam opera sunt concomitantia fidem. Hæc Lorinus. Nec levis hic Pontificiorum dissensus, sed tantus, ut facile omnem contra nos disputandi nervum incidat. Si namque per Spiritum non animam, sed spiritum seu halitum respirationis intelligere adhuc dicebit, nostra causa salva erit. Nam quemadmodum respiratio seu halitus vite signum, indicium & argumentum est, prout effectus causam suam arguit: ita opera erunt fidei aliquod consequens atque effectus, nec fidei formam constituere poterunt, ut Pontificii unice contendunt. Insuper res à Concilio Tridentino non decisa est: ut Pontificii audacius, saltem ex propriis hypothesebus, certam sententiam urgere non possint. Atque hoc unum est, quod Pontificii ipsi inter se non consentiant, & certi quid de loco nostro non habeant, licet de eo aliàs tantopere gloriantur, & Achilleum argumentum pro suâ de Justificatione ex operum meritis sententia jactitent.

II. Notatur, Pontificiorum sententiam cum propriis eorum hypothesebus non bene concordare. Hypothes. Pontif. I. Bellarm. de Justif. l. I. c. 13.

Jacob. II. v. 19.

§ 9. Alterum, quod notamus est, Pontificiorum expositionem in hoc conspirantem, quod fides viva sit fides per caritatem formata, è contrario vero fides mortua sit fides informis, otiosa, actionibus vitalibus destituta, cum propriis ipsorum hypothesebus non bene congruere, ut vehementer illis hinc pro conciliatione laborandum sit. Consideremus enim paulisper juxta hypothese illorum sententiam istam. *Hypothesis Pontificiorum* est, quod fides in justificatione, quam vocant, prima, faciat justificationis initiû, unde & hunc habeat honorem, ut simpliciter dicat Scriptura, fide justificari hominem sine operibus legis. Fidem hanc sequitur Timor secundo, spes tertio, & dilectio quarto loco: ut Bellarminus tradit de Justific. l. I. c. 13. & alii cum eo communiter, imo ex decreto Tridentinæ Synodi. Ex hac Pontificiorum hypothese fides operatur timorem, spem, caritatem. Nam quod quis non credit, non timet: ut quadret huc illud S. Jacobic. II. v. 19. *Diaboli credunt* (DEUM unum esse) & contremiscunt. Præterea Bellarminus l. cit. scribit; *fundamentum caritatis & spei est fides, non contra fundamentum fidei spes aut caritas.* At quomodo cum hac Pontificiorum hypothese consistent istæ nugæ, quibus dicitur, fidem, de quâ S. Jacobus loquatur, non esse actuosam, sed otiosam,



otiosam, & hoc respectu dici mortuam atq; informem? Si namq; initium facit Justificationis, hominemq; incipit sola ad illam disponere; si timorem, spem, caritatem operatur: quomodo otiosa est & mortua? Certè *Bellarminus*, & cum eo alii, dicunt, fidem esse vivam, quando operatur: viva ergò est ista fides, antequam caritas ei accedit, cum ante caritatem operetur timorem, & spem, & mox ipsam caritatem. Et ne quis cavilletur, nihil hinc fidem agere, sed simpliciter præcedere: audiamus verba *Becani* Theol. Schol. part. 2. Tom. I. tractat. 4. cap. 3. §. 3. *Hæc, inquit, fides non est illa specialis, quam fingunt adversarii, qua quisq; credat se justam esse, sed est fides Catholica, qua credimus vera esse, quæcunq; à DEO revelata sunt. Inter cætera hæc duo sunt revelata. Alterum, quod DEUS sit justus & severus in vindicandis & puniendis peccatis. Alterum, quod in iisdem remittendis sit etiam benignus & misericors, eoq; sine misericordia filium suum unigenitum, Christum Salvatorem, ut sua morte à peccatis nos liberaret, & in sortem filiorum Dei assereret. Ex fide prioris articuli oritur Timor divini Judicii, & pœnarum infernalium, quo animus peccatoris utiliter concutitur, & ad emendationem excitatur. Ex fide posterioris nascitur spes divina misericordie, & remissionis peccatorum per merita Christi Redemptoris. Ex hæc spe consequitur Amor erga DEUM, qui tam misericors benignus est, & simul odium seu detestatio peccati, quod nos à tam benigno DEO avertit: cui annexum est propositum vite melioris & observationis mandatorum DEI. His positis, immediate sequitur justificatio, id est, infusio gratiæ sanctificantis, & remissio peccatorum. Ita *Becanus*. Unde patet, quod omninò fides ante caritatem conjunctam non otiosa, sed actuosa sit, & aliquid operetur: siquidem oritur ex illa Timor utilis, nascitur ex illa spes benè hominem disponens. Sed & ipsa per se fides disponit hominem juxta istam Pontificiorum doctrinam: disponere autem hominem est utiq; aliquid agere & operari.*

*Becanus*  
Theol.  
Schol. part.  
1. Tom. I.  
tr. 4. cap. 3.

§. 10. *Hypothesis Pontificiorum* est, quod homo justificatus demum habet caritatem, ex quâ bona faciat opera & meritoria. Fides itaq; est ante justificationem, & operatur justificationem, antequam homo habitum caritatis accipiat: ut ex modo citatis *Becani* verbis satis iterum apparet. Quomodo ergò per caritatem demum formatur, ut sit actuosa & viva? Ergòne fides mortua justificare potest hominem? Et annon S. *Jacobus* noster de justificatione loquitur, & contendit, quod fides mortua ad justificationem nihil quicquam profit, sed viva requiratur? Nonne expresse de salvatione loquitur, quæ quidem in justificatione incipit?

*Hypoth.*  
*Pont. 10.*

*Becanus.*

B

pit?



*Estius effu-  
giam qua-  
rit.*

*fid frustra.*

*Hypoth.  
Pont. 3.*

*III. Nota-  
tur. Quae  
Pontificii  
a. Verba  
p. Jac. ha-  
bent, nostris  
hypothese  
accommo-  
dari posse.  
Estius.*

pit? & interrogat; Num fides ejus (mortua) potest eum salvare? Vidit hoc obstaculum Estius in citatis supra verbis; ideoque respondit, ex sententia Apostoli non esse fidem mortuam in bono catechumeno & infideli poenitente, dum per opera dignosque poenitentiae fructus aspirent ad gratiam baptismi vel reconciliationis: etsi informis dici possit respectu charitatis justificantis, quae amicitia cum DEO sit. Sed frustra est Estius, quum dicit, istud esse ex sententia Apostoli. Num enim de ejusmodi operibus bonis hominis nondum justificati loquitur S. Jacobus? nonne loquitur de ejusmodi operibus, cujusmodi fuerunt Abrahami, quando obtulit filium suum in altari? At tum Abraham fuit justificatus, & habitum caritatis acceperat. De ejusmodi etiam caritate, quam DEUS diligatur tanquam justitiae fons, & sicut oportet, Jacobus ne gry quidem habet: sed caritas ista in sensu Pontificiorum, merum figmentum est. Hypothesis Pontificiorum est, quod ad dispositiones, quibus homines ad justificationem praeparantur, post caritatem pertineant & sequantur poenitentia (quae sit dolor & detestatio peccati) propositum ac desiderium Sacramenti, & propositum novae vitae. Quod si jam fides est mortua, quando ita otiosa est, ut non operetur caritatem, & quando per caritatem non est formata; numquid etiam caritas erit informis & mortua, quando (ut fieri potest) est & manet sine poenitentia, aut ad propositum & desiderium non progreditur, aut ante propositum novae vitae subsistit? Quare ergo Apostolus non idem de caritate, quod de fide, dixit, mortuam esse, quando otiosa est, & per propositum sacramenti & novae vitae formari? sic hominis justificati caritas potest ab actu suo secundo seu opere abstinere, ut non operatur. Ergone tum etiam erit informis, quando non operatur? & quid, quae so, illam format?

S. II. Tertium, quod circa sententiam Pontificiorum observamus, hoc est; Ea quae de sententia verborum S. Jacobi habent, nostris hypothesebus accommodari posse, ut nos plane non laedant: quomodo frustra Pontificii sententiam & doctrinam nostram orthodoxam de justificatione hominis peccatoris & fide justificante, ex nostro Apostolo evertere conantur. Nam per opera sine quibus fides sit mortua, & per quae viva sit, intelligunt non tam ipsa opera bona, proprie sic dicta, quam causam & radicem bonorum operum. Ita namque Estius expressè; Apostolum considerare opera in sua radice, id est, in bona voluntate seu charitate, quae forma est fidei, sicut anima corporis: sentit enim fidem operandi voluntate destitutam mortuam esse; sicut corpus anima privatum

mor-



tuum est. Et communem istam Pontificiorum esse sententiam, vel inde  
 patet, quia omnes fidem per charitatem formari dicunt. Ponamus ve-  
 rò, Apostolum considerare opera in suâ radice & principio: quid, qua-  
 so, nobis res oberit, si modò ab hac abstrahamus hypothese, quasi chari-  
 tas sit istud bonorum operum principium seu radix? Et omnino abstra-  
 hendum erit, cum Apostolus ne verbo quidem caritatis faciat men-  
 tionem. Sit ergò hæc verborum Apostoli, *fides sine operibus mortua*  
*est*, mens & sensus; fides destituta principio & radice bonorum ope-  
 rum, ex quâ ita ut ex causa, imò primo omnium principio, enascuntur,  
 mortua est. Interpretantur porrò Pontificii, fidem mortuam esse, quan-  
 do otiosa sit, nihil agat, actionibus suis debitis careat & destituatur:  
 vivam verò, quando actiosa sit. Actiones autem saltem præcipuæ fidei  
 tum erunt, hominis justificatio & salvatio: quippe quarum Apostolus  
 nominatim meminit: *num fides ejus potest eum salvare?* v. 14. *Videtur*  
*etiam, quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum* v. 24. Sic ita  
 iterum. Nihil etiam hoc contra nos erit. Nos sanè utrumq; istorum  
 largimur & ultrò dicimus; Quæcunq; fides neq; justificat, neq; salvat;  
 adde, neq; bona opera producit, illa est mortua, non viva. Quæcunq;  
 fides principio & radice bonorum operum destituitur, illa mortua est,  
 nec justificat aut salvat. Quia longius progredimur, quam Pontificii.  
 Dicunt namq; hi, Fidem principio seu radice bonorum operum desti-  
 tutam informem esse, formari autem per istud principium seu radicem  
 bonorum operum, tanquam per formam extrinsecam. Ita namq; Ju-  
 stinianus supra allegatus; *fides ab operibus avulsa, tamen si retineat eam*  
*formam, quæ intimè pertinet ad fidem, eamq; in suo genere constituit, rectè*  
*tamen informis & mortua nuncupatur, quia Spiritu & vita caritatis de-*  
*stituitur: caritas enim, ut acutè Theologi probant in Scholis, est virtutum*  
*omnium extrinseca forma, vim meriti singulis tribuens, ac propterea que-*  
*cunq; sunt absq; caritate, meritò à Theologis mortua nuncupantur.* Atqui  
 nos non hoc tantum dicere possumus, quod fides principio & radice  
 bonorum operum destituta sit informis ratione formæ extrinsecæ, sed  
 & intrinsecæ, quæ intimè ad fidem justificantem pertineat, eamq; in suo  
 genere constituat. Quid ergò contra nos valebit omnis Pontificiorum  
 conatus? Imò qui non magis nostræ hypotheses cum S. Jacobi verbis  
 conveniant? Nonne ille dicit; *quemadmodum corpus sine Spiritu* (h. e.  
 anima, ut quidem pleriq; Pontificiorum volunt) *mortuum est, ita fides*  
*sine operibus* (sine principio & radice bonorum operum) *est mortua?* At-

Quia plus  
 dicimus,  
 quam Pon-  
 tificii ipsi.

Justinianus



qui anima corporis humani vivi forma non est extrinseca, sed intrinseca, quæ illud corpus humanum vivum esse facit, & in hoc suo genere constituit. Et ne ludere velle videamur, abstrahamus modo à caritate, quæ primum principium & radix bonorum operum sit, ostendamusq; in nostris hypothesebus, principium primum & radicem bonorum operum esse ipsam formam fidei justificantis, & ad essentiam ejus pertinere: ut revulsa opinione Pontificiorum, quasi caritas sit principium primum & radix bonorum operum ab Apostolo significata, cujus vero Apostolus ne una quidem syllaba mentionem facit, appareat, omnem Pontificiorum laborem frustraneum & imprudentem esse, & ineptè, si non magis fraudulentè, in hoc occupari, ut ostendant, fidem justificantem debere habere principium primum & radicem bonorum operum, cum in hoc probando occupari deberent, quod principium istud bonorum operum seu radix prima sit caritas, vel alia etiam virtus, & non potius in ipsa fide justificante sit, & ad ejus essentiam pertineat. Id quod in æternum non præstabit. In orthodoxa nostra de justificante Fide sententia imprimis observandum est, quodnam sit objectum fidei justificante Fide sententia imprimis observandum est, quodnam sit objectum fidei justificantis; id verò, ut verbis *D. Hulsemanni* Brev. cap. XI. n. V. utamur, doctrina est & meditatio de DEO, propter Christum me absolvente, justificante, & salvaturo. Quando autem Deum salvaturum dicimus, non ipsam tantum actualem collationem vitæ æternæ, quæ post hanc vitam contingit, intendimus, sed totum salutis opus post justificationem, scilicet renovationem nostram, ductum Spiritus S. in sanctitate vitæ, liberationem à peccato etiam inhabitante, donec tandem ad plenam gloriæ perfectionem perveniamus. Unde patet, quod Fides in negotio justificationis non respiciat tantum remissionem peccatorum & imputationem Justitiæ Christi, in quibus justificatio formaliter consistit, sed simul petat istas sibi dari & conferri eum in finem, ut Deus, nobiscum reconciliatus, nos magis magisque ad sanctam vitam renovet, peccatum expurget, & tandem salvos faciat. Atque hic habemus formam quasi intrinsecam Fidei justificantis, ex objecto & Fine ejus descendã, quando nimirum Deum imputatã Christi justitiã absolventem justificantemq; apprehendit, ut renovaturum sanctificaturumq; magis magisque, & tandem perfectionem gloriæ daturum; & hæc quidem in certo ordine facturum. Quicumq; namque fide Deum apprehendit, tanquam imputata Christi justitia ita absolventem à peccatis justificantemq;

*D. Hulsemanni. Brev. c. XI.*



temq; , ut se in peccatis commorantem, & quodlibet facientem, salvaturus tamen sit: ille sanè Fidem justificantem non habet, sed isthac fides illius planè mortua est, aut si quid mortuâ pejus est. Illa verò fides, quæ Deum apprehendit, ut renovaturum, sanctificaturum, in sanctâ vitâ ducturum, in bonis operibus recturum, tandemq; glorificaturum; illa, inquam, fides demum est vera fides justificans, & formam fidei justificantis intrinsecam habet, non extrinsecam. Pater autem hinc, quod eadem hæc fides sit primum principium & prima radix omnium bonorum operum. Hujus namq; fidei non tantum soboles est caritas, quam Deus reconciliatus in renovatione cum aliis virtutibus in justificatis creat, sed & per caritatem sic operatur, ut caritatem ad agendum bona opera exciter, moveat, urgeat, tanquam sanctitatis vitæ in bonis operibus cupidissima. Et certè fieri non potest, ut hæc fides non producat bona opera, adeò ut, ubicunq; non sunt opera bona, hanc fidem oporteat non adesse, aut expirasse, & necessaria sit consequentia ab absentia bonorum operum ab essentiam hujus fidei.

§. 12. Hæc, quæ de fide hactenus diximus, cum sic se habeant, & re-  
vera Fides justificans sit principium primum & radix prima bonorum  
operum omnium, & quidem in se ipsa, hoc est, per naturam, essentiam,  
formam intrinsecam, non tantum extrinsecam, quam Pontificii vo-  
cant, caritatem, licet per caritatem operetur bona opera: permittere  
sanè possumus omnibus, ut S. Jacobo bona opera esse principium & ra-  
dicem bonorum operum, statuunt, dicantq; fidei, quæ istorum ope-  
rum principio destituta est, non vivam, sed mortuam fidem esse, non  
posse per se solam justificare, otiosam esse, non actuosam esse. Hæc  
namq; omnia in præmissis nostris de fide justificante hypothesebus ve-  
rissima sunt. Et ut ad verba D. Apostoli applicemus; *Quid emolumentum*  
*est, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* h. e. principio  
bonorum operum & radice eorum destituatur, dum Deum non apprehendit,  
ut renovaturum, sanctificaturum, in novitate vitæ usq; ad gloriam ducturum,  
sed ut permissurum peccata & scelera, nec curaturum bona opera? *num ejusmodi fides salvare eum poterit,* cum tamen ordinem ad salutem prorsus invertat & deturpet? Nullo sanè modò hoc fieri potest: & frustra ille jactat fidem salvificam, cum ista fides non sit salvifica. Et, quemadmodum, *si frater aut soror nudi sint, & destituti quotidiano victu, dicat autem illis quis ex vobis, ite in pace, calefcite & saturamini, non vero detis illis necessaria corpori, nihil emolumentum inde habetur,*

*Fides Justificans, quæ primum principium bonorum operum.*

*applicatur ad verba Apostoli Jacobi.*



betur, nec isthæc vera & viva, sed mortua est misericordia; cùm misericordia viva sit principium operum misericordiæ, non tantum qualiscunq; condolentiæ, adeoq; si opera misericordiæ non habeat, non sit misericordia vera: *ita etiam fides justificans, si opera non habeat, sive principio operum careat, non est viva fides, sed secundum seipsam est mortua, eò quod de Fidei salvificæ seu justificantis natura sit, ut habeat principium operum in seipsa.* Si pergamus ad verba; *vis verò scire homo vane, quod fides sine operibus* h.e. fides principium bonorum operum in se non habens, *sic mortua*, non viva & vera fides justificans & salvifica; *Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est?* Hic quoq; si ita placet Pontificiis, opera sint principium bonorum operum, certum tamen erit, vi hypothesium Pontificiarum, quod solum principium non possit intelligi exclusivè, ut fides à justificationis negotio relegatur. Quid tum verò? dicemus Abrahamum Patrem nostrum justificatum ex fide principium operum in se habente. Quamquam revera, ut infra dicemus, opera hîc sunt tantum argumentum pro justificatione, & Abrahamus justificatus est ex operibus, non ut causa justificationis, sed ut argumento veram fidem probante & vivam. Jam quod tandem dicit Apostolus; *quemadmodum corpus sine Spiritu mortuum est, sic etiam fides sine operibus mortua est.* Sit Spiritus ipsa anima. si ita placet Pontificiis; Sint quoq; opera principium operum, res pro nobis potius erit, quam contra nos. Dicemus namq; Sicut corpus hominis sine anima est mortuum: ita fides si principium operum in se non habeat, non est fides justificans viva, sed mortua, nec justificare aut salvare potest. Satis, ni fallor, ex his constare potest, quod Pontificii nihil quicquam contra nos lucrentur, sed falsam tantum opinionem in textum Apostolicum inferant, quasi principium bonorum operum ab Apostolo significatum & requisitum sit caritas, fidei salvificæ sive Justificanti contradistinctum, non autem ipsa potius fides, seu aliquid ad naturam & essentiam fidei ita pertinens, ut intima illius forma & ultima differentia, ut sic loquar, specifica sit: sicut & B. D. *Hulsemannus* alicubi loquitur; *Tale principium bonorum operum esse de essentiâ & definitione salvificæ fidei.*

D. Hulsemann

Ut  
Sana &  
inanis sit  
Pontificio-  
rum jactan-  
tia.

§.13. Quæ hætenus diximus, quo sine hætenus dixerimus, supra jam satis indicavimus: nimirum ut vanitatem Pontificiorum & inanem jactantiam manifestam redderemus, qui in propriis suis expositionibus potius textus ea supponere coguntur, aut supponenda putant, per quæ nostræ de Justificatione & Fide imprimis justificante hypotheses extra

omne



omne periculum collocantur, illi verò falsam suam de caritate opinionem aliunde infarciunt. Nunc breviter etiam veram & orthodoxam circa Apostoli verba proponemus sententiam.

§. 14. Et I. quidem Apostolus Jacobus disputat de *Fide salvifica* seu *justificante*, *quænam illa sit?* Nam esse aliquam fidem justificantem seu salvificam, præsupponit cum Christianis, cum quibus agit, & disputat. Et si namq; fidei salvificæ seu justificantis, in termino, ut loquuntur, terminante, non meminit in nostris verbis, sed simpliciter dicit; *Fides, si opera non habeat, mortua est secundum semetipsam; vis scire, quod Fides sine operibus mortua sit; sicut corpus sine Spiritu mortuum est, sic Fides sine operibus est mortua;* Nihilominus ex verbis v. 14. præmissis; *Si quis dicat, Fidem se habere, opera autem non habeat, num fides potest ovis salvare ipsum,* clarissimum est, quod de Fide salvifica, quæ ipsa etiam justificans, loquatur. Hoc nobis statim contra Pontificios prodesse potest. Nam Apostolus ex communi fide fidelium sui temporis, & ipsi, quibuscum agit, fideles cum illo, agnoscunt & præsupponunt Fidem aliquam salvificam vel justificantem. Hæc verò quare hoc nomen habet, nisi quia sola salvat & justificat? Quare Apostolus non etiam de operibus, aut de caritate aliisque virtutibus interrogavit, num salvent & justificent, atq; sic fidei conjungit? Jam porro Apostolus non disputat de hoc, num sola fides salvet seu justificet? Sed quænam sit illa fides salvifica seu justificans, quam universa Ecclesia Christi credat salvare & justificare? Neq; enim aliud permittit, quod Apostolus fidem distinguit in mortuam & vivam. Quippe quâ distinctione omnino hunc nobis quæstionis statum subministrat; *Quænam fides justificet & salvet? vivane an mortua? Vel hunc etiam; Quænam fides sola justificet & salvet: vivane, an mortua?* Nec obstat, si objiciatur, Apostolum toties opera conjungere fidei; *Fidem sine operibus esse mortuam; Si quis fidem habeat, opera autem non habeat, fidem non posse illum salvare;* ex operibus justificari hominem, non ex fide tantum. Opera namq; non aliter ab Apostolo memorantur, nisi ut inde ostendatur, quæ fides mortua sit, vel viva, & quod argumentum pro justificatione non ex qualibetq; fidei jactantia, sed ex operibus potius sumatur.

§. 15. Dicit II. Apostolus, *Fides est non est opera non habeat, venoq; est, mortua est; Fides sine operibus est mortua.* Ubi quando Fidem facit aliquam mortuam omnium, etiam Pontificiorum, confessione oppositam facit illi aliquam vivam. Atq; sic ex mente Apostoli,

Vera circa  
Apostoli  
Verba sen-  
tentia pro-  
ponitur.

I.  
Fides salvi-  
fica seu Ju-  
stificans  
quænam  
sit?

Contra Pon-  
tificios.

Objectiones

Solutio

II.  
Quæ Fides  
mortua?  
Et ex oppo-  
sito.  
Quæ viva?



Ubi Pontificii disputant, Fidem vivam & mortuam esse unam eandemq.

Estius.

Qui simplices quidem decipere, prudentibus nocere non possint.

Justiniani effugium.

Stoli, Fides justificans sive salvifica alia erit viva, alia mortua. Quæ quidem distinctio non est univoci in sua univocata, sed homonymi in suas significationes, h. e. distinctio veri à falso. Homines namq; nonnulli opinantur, quasi fides mortua sit fides justificans vel salvifica, sed reverà non est illa justificans vel salvifica. Hic verò Pontificii operosè & contentiosè disputant, quod fides mortua & viva una sint eademq; fides: Si quo modo obtineant, quod fides in se nec viva sit, nec mortua, sed extrinsecè seu respectu alterius conjuncti, h. e. caritatis seu bonorum operum. Declarant simul & probant suam sententiam per id, quod Apostolus dicit; *Sicut corpus sine Spiritu mortuum est, ita fides sine operibus est mortua.* Corpus enim mortuum & vivum unum esse idemq; corpus: Ergò fidem mortuam & fidem vivam unam esse eandemq; fidem. Addunt & hoc, Fidem mortuam esse veram fidem, non falsam. Sic Estius scribit; *Quemadmodum illa verba divitis ad pauperes, ite in pace &c. verba quidem sunt, sed pauperibus nihil conferunt: ita fides, nisi opera habeat, fides quidem est, sed habenti non prodest. Non ergò fidem absq; operibus mortuam vocat, tanquam revera fides non sit; Sed quia vita caret caritatis ac bonorum operum, sine quibus ad salutem nihil prodest.* Qui idem Estius sibi objicit, tanquam ex sententia Nostratum; *Homo mortuus non est homo, sed cadaver hominis; ergò fides mortua non est fides, seu quoddam fidei cadaver.* Et respondet; *Non comparat Apostolus fidem mortuam cum homine mortuo, sed cum corpore mortuo. Sicut ergò corpus mortuum verè & propriè corpus est; ita fides mortua verè & propriè fides est.* Conferantur, quæ Justinianus habet, & alii.

§ 16. Non immerito miramur, quid Pontificii lucrari se putent nugis istis prolixis & vanissimis; nisi per fraudem & deceptionem simplicium lucrum suum quærant. Prudentibus sanè nihil quicquam nocere poterunt. Demus enim, unam eandemq; fidem esse eam, quæ mortua, & quæ viva dicitur; quemadmodum corpus hominis vivum & mortuum unum sit idemq;. Ergone per omnia una erit eademq; fides? ergone corpus hominis per omnia erit unum idemq; corpus, sive mortuum sive vivum sit? Nisi hominibus istis sua relinquatur, & pro oraculo habeatur philosophia, non habent hic, quo satisfaciant. Ideò Justinianus monet, ne nimis subtiles simus; ut nimirum nervus Pontificiorum non incidatur. *Nec mihi, inquit, quisquam in presentia philosophicas argutiolas objiciat, & novam quandem corpori mortuo cadaveris formã advenire contendat; atq; adeo non propriè corpus, sed cadaver nuncupandum.*



pandum esse; neq; enim tantâ subtilitate Apostoli similitudo eget, qui non philosophorum more, sed vulgi consuetudine loqui maluit, & mortuum corpus, quacumq; tandem forma constet, corporis nomine significavit. Sed hâc ratione nobis, si aliâs elabi non possemus, elabendi rima monstraretur. Promptum enim est dicere, quod consuetudine vulgi fides viva & mortua pro una eademq; habeantur, quemadmodum corpus mortuum & vivum consuetudine vulgi unum idemq; videantur, etiamsi more philosophorum loquendo & in se ipsis distincta sint. Ut rem sic, ut debet, expediamus, observandum est, quod Apostolus Jacobus Fidem justificantem seu salvificam, quando mortuam eam vocat, simpliciter consideret, ut se habet, quatenus sc. illi desunt bona opera seu quatenus illa opera non habet, seu sine operibus est: omisso, quid positivè sit post mortem suam, sive novam & contrariam formam h. e. aliquid falsitatis loco veritatis ponat, sive non. Et hîc libenter indulgemus Justiniano, ut quemadmodum corpus hominis mortuum non consideratur sub nova, quam acquisiverit, forma, sed tantum privativè, quatenus priorem formam, vitam, non amplius habet, ita fides mortua spectetur, quatenus caret vitâ suâ, & opera non habet. Hic jam credere possumus, quod fides mortua una eadèq; fides sit cum fide vivâ, excepta sola vita: quemadmodum corpus mortuum, modò vitam exceperis, cœtera erit unum idemq; corpus. Veram quòq; cœtera esse fidem, quemadmodum corpus mortuum cœtera verum corpus est, non repugnabimus: modo interim concedatur, quod & concedendum necessariò erit, quemadmodum corpus hominis non est verè corpus vivum, aut verum corpus vivum, sed falsò haberi potest pro corpore vivo, ut tùm falsum corpus vivum rectè dicatur, ita fidem mortuam non esse vere fidem vivam, sed falsò à nonnullis haberi pro fide verâ vivâ, cum tamen fides viva falsa sit. Declarare licet rem ex nostro Apostolo, qui de homine fidem falsò vivam seu mortuam habente, dicit; *Tu credis, quod Deus unus sit: rectè facis.* Quando dicit, *rectè facis:* omninò concedit, quod fides illa hactenus vera sit. Imò concedit etiam, quod fides ista mortua hactenus idem credat, quod fides viva: cum certum sit, quod fides viva non minus credat, quod Deus unus sit. Sic verò pergi poterit in cœteris, quod illa omnia fides mortua cum viva credat, adeoq; una eademque hactenus sit cum fide viva, usque dum perveniatur ad hoc, quod fides viva debeat producere ex se, tanquam principium primum, bona opera: hîc demum fides mortua nulla erit, vere mortua erit, nec fides

nobis dat ef  
fugium, si  
eo opus ha-  
beremus.

C

vere





Pontificiorum  
nugas  
reclarguuntur  
847

verè viva, aut una eademque cum fide viva dici poterit. Prorsus quemadmodum etiam se res in corpore humano habet, quod, quando mortuum est, est substantia materiata, corpus ex elementis mixtum, suis dimensionibus constans, grave &c. Sicut erat, quum vivum erat, & sicut aliud corpus vivum est. Sed ubi ad vitam perventum fuerit, non erit revera unum idemque corpus cum vivo quovis alio, cum seipso, si prius vivum fuit. Ecquid hinc negare poterunt Pontificii? ecquid vero etiam lucrabuntur? Nugas itaque tantum prolixas agunt. Neque verò etiam opus habuissent tam sollicitè distingvere inter hominem mortuum, & corpus mortuum? cum res eodem recidat. Homo mortuus unus idemque cum vivo dici poterit, imò juxta Scripturæ phrasin dici debet. Numquid enim Abrahamus, Isaacus & Jacobus, quorum etiam tum, postquam mortui sunt, & in morte tempore Christi fuerunt adhuc, corpora fuerunt mortua, non amplius fuerunt iidem, qui fuerunt, antequam morerentur? Aut num alii fuerunt, quo tempore Christus allegavit, quod olim ad illos dictum est, *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi*, ab illis, qui fuerunt, quum viverent? Interim si ad vitam hujus seculi pervenitur, profecto iidem non sunt, nec vivi, sed mortui appellandi sunt. Sed, inquit, corpori hominis vita non est essentialis, nec ad naturam ejus pertinet, sed aliunde advenit ab animâ nimirum: sicut Lutherani faciunt vitam fidei vivæ de essentia & natura ejus esse. Atqui, inquam, Apostolus in hoc tertio quoque comparationem suam non instituit, sed Pontificii sub verbis Apostoli nobis libenter obtruderent. Neque enim Apostolus dicit, eodem modo, quo corpus sine Spiritu est mortuum, fides sine operibus est mortua. Et annon Pontificii etiam inter corpus & animam horumque vitam, & inter fidem & caritatem ingens discrimen inveniunt? Nonne corpus hominis per animam vivit, & animæ in actionibus motuque instrumentum est? atqui fides juxta proprias illorum hypotheses in puncto Justificationis per se agit, quod agit, non autem caritas per ipsam: quin contra Apostolus Fidem ait per caritatem operari Gal. V. vers. 6. Mirum ferè est, quod hi homines fidem mortuam non faciunt etiam substantiam corpoream tribus dimensionibus, gravitate, &c. præditam, & caritatem Spiritum immortalem incorporeum, ut per omnia comparatio Apostolica congruat.

Gal. V. 6.

Quæ Vita,  
Fides mortua desinat  
evatur?

§. 17. Mortua porrò dicitur Fides, procul dubio quia vita privata est, hoc enim utique mortuum est, quod vitam sibi convenientem non



non habet. Ubi jam quaeritur, *quanam illa vita sit*, qua fides mortua destituitur? unde statim etiam cognosci poterit, quanam fides sit viva, ubi enim vitam, qua fides mortua destituitur, inveneris, mox habebis fidem vivam, si illi vitam modo istam dederis. Hic vero Pontificiis, qui tantoperè de verbis nostri Apostoli gloriantur, denuò hæret aqua, & ad maximam, quæ inveniri potest, improprietatem recurrunt. Scilicet Lutheranos in angustias redigent, si illi in angustissimas angustias se receperint. Immemoret quod tantopere contra nos Apostolicam comparationem cum corpore urgeant, nunc, quasi nec inter homines vivos mortuosve, nec inter bestias vivas mortuasve viverent, ad fontes & stagna se precipiunt, ut in his vitam & mortem fidei inveniant. *Per metaphoram*, inquit Bellarminus supra citatus, dicitur fides viva, cum operatur, mortua, cum non operatur: sicut etiam aqua dicitur viva, quæ continuo fluit, ut in fonte & fluvio, mortua, quæ non movetur, ut in stagnis & paludibus, cum tamen utraque verè proprieque sit aqua. Conferantur, quæ Justinianus & alii habent. Si Apostolus ullo verbo sive aquæ, sive fontis, sive fluvii, sive stagni mentionem fecisset, prætextum saltem aliqualem inveniret hominum sive stulticia, sive malitia. Jam verò cum illorum nullum in toto contextu compareat, mirari satis vix possumus. Interim tam stolidos nos putat Bellarminus, vel ipse potius tam stolidus est, ut putet, nobis pervaderi posse, quasi aqua viva sit, quæ moveatur, mortua, quæ non moveatur. Scilicet, quando ex fonte vivo aqua hauritur aut quocumque vase hauritur, in vase statim aqua erit mortua, quia non amplius movetur: aut aqua stagnatida, quando stagnum emittitur, aut alioqui effluit, statim erit aqua viva, cum primum fluit & movetur, etiam si pessimè oleat & sapiat. Sed ad ejusmodi ineptias delabuntur homines, quando veritati vim potius inferre, quam cedere præsumunt. Nos manemus in simplicitate verborum Apostolicorum, earundemque dum sequimur. Dicit Apostolus, quemadmodum corpus sine Spiritu est mortuum, ita fides sine operibus est mortua. Quid est corpus mortuum? quod vita sua caret. Quid vita corporis est? Principium motus & actionum, imprimis halitus & respirationis in animantibus. Ita ergò Fides quoque mortua est, quæ suam vitam caret, & vita ejus est principium actionum propriarum. Actiones proprias dicimus, quæ ex ipsa fide proficiunt, & quatenus ex illa proficiuntur; non quæ ex caritate oriundæ qualitercumque; fidei imputantur. Actiones verò fidei ejusmodi ex nostro Apostolo potius, quam aliunde discimus: qui quando dicit, Fidem sine operibus esse mortuam, sanè docet fidem producere bona opera, seu vitam fidei esse principium bonorum operum. Oportet namque Apostolum à negatione seu absentia effectus ad absentiam causæ seu principii argumentari. Nec obstat, quod Spiritus mentionem facit Apostolus, per quem Pontificii imprimis animam hominis, quæ forma corporis, & principium vitæ illius sit, intelligunt. Nam quid per Spiritum intelligendum sit, & quomodo ad rem nostram faciat, suo loco videbimus. Ut in actionibus vitalibus, quas vita fidei edit, pergamus, Apostolus meminit per *ῥὸ σωτηρίας*, salvationis: quæ *δικαιοσύνη* seu Justificationem in se comprehendit. Ita namque Apostolus. v. 14. *Quid emolumenti est? Si quis dicat, fidem habere, opera autem*

Bellarminus

Simplex &  
vera sententia



*rem non habeat, num fides poterit* οὐ οὐαὶ αὐτὸν *salvare eum?* ita nimirum mortua est ejusmodi fides mortua, ut justificare & salvare nequeat: contra verò fides viva salvare & justificare potest; unde etiam fides justificans & salvans vera rectè appellatur. Verbo itaq; Vita quæ fides mortua destituitur, fides autem viva prædita est, est *δύναμις*, vis seu virtus Justificandi, salvandi & producedi bona opera. Quæ verò hæc vis atq; virtus sit, supra indicavimus, quando diximus, Fidem veram & vivam Justificantem atq; salvantem, apprehendere gratiam Dei Patris, propter meritum Christi imputatum, non tantum peccata remittentis, sed per renovationis Spiritum quoq; à peccatis liberaturi, & tandem salvaturi. Ita Fides hæc homini, apprehendendo gratiam & meritum Christi, impetrat Spiritum S. renovationes vires ad bona opera dantem, & ad eadem agentem. Atq; sic primum principium est, primaque radix bonorum operum, præterquam quod varias DEI amandi eidemq; obediendi rationes, à debito filiorum, à Jure gratitudinis &c. subministrat.

**III.**  
*Quænam*  
*opera, sine*  
*quibus fi-*  
*des nec*  
*Justificat,*  
*nec salvat.*

*Objeçtio.*

*Expeditur.*

S. 18. *Quæ III.* sint *ἔργα*, opera, sine quibus Fides mortua est, videndum est. Et supra quidem jam diximus, si, quod ferè Pontificii faciunt, opera pro operum principio accipiantur, nostræ causæ rem nihil nocere. Quod si tamen fatendum, quod res est, non congruit significatio ista sive verbis, sive scopo Apostoli. Scopus enim Apostoli non hic tantum est, ut quid ad naturam vivæ fidei pertineat, sed & quomodo de vivâ fide fideles judicare possint & debeant in Ecclesia, doceat. At qui primum bonorum operum principium, utpote quod internum est & soli Deo notum, Ecclesiæ & fidelibus non est manifestum, ut ex illo de fide judicare queant. Viderunt hoc quoque alii ex Pontificiis: ideoq; ipsa opera propriè dicta, saltem conjungunt. Jam verò etiam stylus Scripturæ S. non est, ut per opera principium operum intelligat. Quare nos per *ἔργα* seu opera simpliciter intelligimus opera propriè dicta, non causam aut principium operum. Ut sensus sit; Fides si opera non habeat, ex se tanquam principio primò oriunda, mortua est; & quemadmodum opera non profert, sic etiam non justificat, nec salvat. Obesse quidem videtur huic acceptioni; quod non omnis fides habeat opera. In Infantibus namq; fides est saltem juxta nostrates hypotheses; neq; tamen illi habent opera ex fide fide oriunda, unde fides judicari queat. Sic fides justificans non tantum natura bonis operibus, tanquam eorū principium, prior est, sed sic tempore quoq; prior nonnunquam est, ut opera hominibus, saltem ad Judicium ex iis ferendum, observabilia nondum habeat.

S. 19. Nodum huc ut salvamus, dicimus Apostolū absolutè & in genere de viva & mortua fide loqui, quod ex operibus cognoscatur, qualis sit. Regulam namq; quandam generalem præscribit, juxta quam unicuiq; judicandum est, quantum potest. In genere itaq; de fide ex operibus judicandum est. Quisquis jam opera non nisi externa perspicere potest, ut nemo hominum plus potest: ille etiam non nisi ex externis operibus judicare de fide potest, adeoq; facit hoc, quod unum potest. Angeli, qui interna quoq; opera habent cognita, extra cogitationes (quas non penetrant) & causas suas posita, plus hic præstare possunt. DEUS sua omniscientia eò usq; penetrat, ut, num fides bona opera in se quoq; conceperit, perspiciat, & sic de bonis operibus in suo quoq; principio adhuc latitantibus & non latitantibus judicium ferre queat. Ita magnū revera discrimen est, si eos, qui judicant, respicias:



spicias: interim omnes, tam DEUS quam Angeli & homines, judicant juxta communem & generalem regulam, quam DEUS sibi ipse fecit, & creaturis præscripsit, Fides, si opera non habeat, mortua est, si habeat, viva est. Ita sane res videtur satis expedita.

S. 20. Et licebit rem probe declarare similitudine, quam ipse Apostolus noster subministrat. Corpus sine Spiritu & halitu (ita namq; hic Spiritum accipimus) mortuum est: sicut fides sine operibus mortua. Ergo halitu de vita corporis judicari potest. Nonne verò hæc est generalis regula, juxta quam quilibet tantum, quantum potest, de vita corporis judicare debet? Sane res nobis videtur clarissima. Atqui non omnes eodem modo judicare possunt: & si juxta hominum judicia decisio semper certa danda esset, sine dubio multa sequerentur judicia falsa. Interim hominibus etiam valet ista regula, ut faciant, quantum juxta illam possunt. Interim manet ingens discrimen in judicando. Homo non potest ulterius progredi, quam quousque sensus halitus se extendit: ut si exterius halitum non sentiet, non possit affirmare quod corpus vivat, nec e contra negare, quod non vivat. Sed Angeli sine dubio plus hic præstare possunt: omniumque plurimum DEUS, qui animæ cum corpore unionem, in qua halitum tanquam in causa sua cognitum habet, intime penetrat. Atque hæc similitudo, cum Apostolica sit, rem non tantum declarare, sed & probare potest.

Similitudine res, declaratur

S. 21. Quæ porro inde etiam confirmatur, quod egregie eum toto Apostolico contextu concordat. Postquam namque Apostolus v. 14. dixit; Si quis dicat, fidem habere, opera autem non habeat, num fides eum salvare poterit? subjunxit statim; Si verò frater aut soror nudi existant, & destituti sint quotidiano victu, dicat verò aliquis ipsis ex vobis, ite in pace, calefcite & saturamini, non detis autem illis necessaria corpori, quid emolumenti est? sic etiam fides, si opera non habeat, mortua est secundum seipsam. Ubi similitudo indicatur cum misericordia mortua & inani, quæ verba dat, non res & opera: clarumque est, quod opera intelligat misericordiae sine tropo Metonymiæ, quasi principium illorum denotetur. Ejusmodi itaque etiam opera intelligit, quando de fidei operibus loquitur. Pergit Apostolus: sed dicet aliquis: Tu fidem habes, & ego operam habeo: ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam. Certè in his verbis oportet opera proprie dicta intelligere, quæ facta sunt, ut Erasmus vertit: cum clarum sit, quod foris coram hominibus ostendenda sit per illa fides. Neque enim ex ipso principio operum interno homines de fide judicare possunt. Jam v. 21. dicit; Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, quum Isaacum obtulit filium suum super altare? ubi opera denuò facta sunt, quæ in negotio oblato Isaac concurrebant. Eorum autem, quæ in contextu sequuntur eadem apparebit, si considerentur, ratio.

Et confirmatur ex contextu Apostolico.

S. 22. Quando Apostolus Fidem sine operibus mortuam esse dicit, addit IV. καὶ ἑαυτὴν secundum seipsam. Opponitur hoc τῷ καὶ ἄλλο, secundum aliud: quasi scilicet aliud quid mortuum sit, in cujus respectu fides dicatur mortua. unde, quando è contrario fides dicitur mortua καὶ ἑαυτὴν, secundum seipsam, oportet ipsam in se mortuam esse, & respectu sui ipsius; dum non habeat, quod per naturam & essentiam suam habere debet. Utimur hic merito ea similitudine corporis, quæ uti Apostolo placuit. Corpus sine Spiritu mortuum est καὶ ἑαυτὸ, secundum

IV. Quod sit καὶ ἑαυτὴν, secundum seipsam?



D. Hulsemannus.

secundum seipsum. Quomodo ergo? sane ita, ut vitam non habeat in seipso, quam tamen per naturam corporis vivi habere deberet. Et quemadmodum corpus, Spiritum habens, est vivum καὶ ἑαυτὸν, secundum seipsum, & quā tale spectatum: sic etiam fides, opera habens, est viva καὶ ἑαυτὴν secundum seipsam, & quā talis, quia intrinsecè vitam habet & vivum est. Optime itaq; Dn. D. Hulsemannus de auxil. Grat. pag. 368. non sibiisse, ait, apponere scriptores sacros hanc particulam (καὶ ἑαυτὴν) citra notationem peculiaris cujusdam emphaseos, & consequenter hic quod, apud Jacobum declarare modum mortis, quod fides, opera non pariens; intelligi debeat esse mortua, sc. intrinsecè, quod ad abolitionem actus primi & formæ inesse debita. Et mox: quemadmodum igitur illud corpus organicum, quod destituitur facultate seu spiritu vitali, non dicitur metaphorice mortuum, non synecdochicè secundum aliquam partem, vel aliquarum actionum invidentiam, sed univocè & quod ad extinctionem actus primi: ita fides, quæ sine operibus est, dicitur mortua, metaphorice quidem (nam hoc similitudinum natura est, ut ea, quæ propriè predicantur in positivo, apodicticè convenient per metaphoram) sed ita tamen, ut ipse actus primus fidei dicatur abesse, negativè vel privativè, id est, vel nunquam adfuisse, vel extinctus esse. Placet quidem Pontifici καὶ ἑαυτὴν, secundum seipsam, notare fidem solam, & ab operibus se junctam fore. Sed præterquam quod istud nobis non est: tautologicum simul est. Certè Tautologia est, dicere; Fides, si opera non habet, vel, quod idem, sine operibus, est mortua, secundum seipsam, h. e. se juncta ab operibus. Si enim opera non habet, si sine operibus est, nonne se juncta est ab operibus? aut num χωρὶς, sine, non χωρὶς, se junctit? vidit hoc Gregorius papizans, ponere tamen expressè non est ausus; itaq; turpitudinem suam & alienam tegere cupiens, scribit, τὸ καὶ ἑαυτὴν, secundum seipsam, πλεονάζειν, abundare. Et frustra laborat nobis persuadere, quasi hic ejus in Scriptura usus sit Matth. XII. v. 25. 26. cap. XIII. v. 21. Joh. XV. v. 4. Rom. I. v. 24. & idè etiam mox nostrum Apostolum, omissa particula καὶ ἑαυτὴν, secundum seipsam, contentum esse dicere, fidem sine operibus esse mortuam. Sed optimè, ad singula Scriptura loca & accuratè respondit Dn. D. Hulsemannus loc. sup. cit.

V. §. 23. Ulterius jam quæri V. posse videtur; num, quando Fides sine operibus mortua esse secundum seipsam dicitur, intelligendum hoc sit privativè tantum, an simul negativè? Corpus enim mortuum, propriè loquendo, dici non potest, nisi prius vitam habuerit, quā nunc privatum sit. Impropiè quidem corpora mortua dici possunt ea, quæ vitam nunquam habuerunt: ut, si Polydorus Alexandro statuas faceret. Sed hic fidem dici à S. Jacobo mortuam latius, ut vita illi negetur, si prius eam habuerit, si non habuerit, supra Dn. D. Hulsemannus scripsit; Fides sine operibus est, dicitur mortua, metaphorice quidem sed ita tamen ut ipse actus primus fidei dicatur abesse, negativè vel privativè, id est, vel nunquam adfuisse, vel extinctus esse. Pro quā expositione, quæ etiam aliis Nostatibus communis esse videtur, hoc præcipuè est, quod Apostolus fidem mortuam intelligit, quæ Judicio etiam hominum obijciatur & subjiciatur. atqui si consideretur secundum hoc, num vitam unquam habuerit, necne? atq; adè, num mortua sit privativè? Hoc judicio hominum abstrusius est, quàm ut judicium de eo ferre queant. Quis enim hominum actum fidei primum introspicere potest, ut sciat, num unquam adfuerit, necne? atqui notitiam seu introspectionem istam actus primi requirit præsupponitq; judicium de morte fidei privativè dicta. Relinquitur itaq; homini judicium de fi-

de



de mortua tantum latè & indeterminatè, sivè privativè sivè negativè mortua sit. Jam verò de fide mortua etiam hominis Judicium, quantum in illum cadere potest, non excludi, sed includi ab Apostolo, patet ex v. 18. *ostende mihi fidem tuam de operibus tuis. Et ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.* Nonne enim, homo homini ostendat hic fidem suam ex operibus suis; & is cui ostenditur fides, judicium facit ex operibus?

S. 24. Restat paucis expediendum, quid VI. πνεῦμα, Spiritus sit, in similitudine Apostolica, cum dicit, *quemadmodum corpus χρεῖς πνεύματι, sine Spiritu, mortuum est: sic etiam fides sine operibus mortua est.* Pontificiorum dissensum supra indicavimus: etsi libenter aliquid hinc pro sua fidei forma extrinseca exculperent, quod fieri non posse, nisi Spiritus pro anima accipiatur, ipsi vident. Verum enimvero nobis per illud non noceri, si ἔργα sive opera pro principio operum sumantur, ex superius dictis constare existimamus. Principium namque primum bonorum operum, quod ad naturam & essentiam Fidei justificantis pertinere ostensum est, formam ejusdem Fidei, quã à Fide mortua distingvatur, quidni dicere possumus? Præterquam quod, etiamsi πνεῦμα Spiritum, pro anima acceperimus, non statim cogimur comparationem instituere inter animam & opera, in hoc tertio, quod sicut anima sit forma corporis, ita opera sint forma fidei. Certè Apostolus ne verbo quidem istud comparationis tertium indicat; potius necessarium nexum & certitudinem consequentiæ significatum suis vult verbis. Ut sensui & menti Apostolicæ sic satisfacere possumus; quemadmodum certissimum est, quod corpus humanum sine Spiritu sit prorsus mortuum: ita fidem sine operibus mortuam esse certissimum est: ut adeo sit optima & infallibilis ab operibus ad veram fidem consequentia. Hanc vero consequentiam quod attinet, suo diximus loco, quomodo juxta diversam operum, externorum, & internorum, in radice suã latentium, cognitionem & introspectionem, diversimodè quoque à Deo, Angelis & hominibus fieri possit. Interim nobis non potest displicere sententia altera, quã πνεῦμα, Spiritus, pro halitu & flatu respirationis sumitur: imò fatemur, hanc nobis sententiam magis probari. Haud enim obscurum esse putamus, quod halitus & respiratio cum operibus propius, quàm anima hominis conveniat, aptiorque sit utriusque comparatio. Opera namque non pro ipsa immediata radice & principio bonorum operum accipi debere, sed pro operibus propriè sic dictis, quæ principii istius effectus sint, ipsi observavimus & statuimus in præcedentibus. Planum autem est, quod hæc opera cum halitu potius, quàm anima hominis, conveniant, tanquam effectus cum effectu. Quemadmodum enim opera sunt effectus vitæ fidei, ut principii sui; sic halitus effectus est vitæ corporis tanquam principii sui. In hac nihilominus quoque expositione halitum seu flatum non præcisè pro halitu ex ore exeunte, sed simul intra corpus sensibili, aut in radice & causã suã cognoscibili, accipimus: sicut similia de operibus diximus. Insuper de novo, videtur commodius esse, Apostolum certitudinem consequentiæ intendere, quàm rem simpliciter declarare. Res enim ipsa in antecedentibus Apostoli verbis declarata est: nec hic declarandi locus, ubi de consequentia sermo; Rahab ex operibus justificata est, certissimo argumento, eò quod tam certa ab operibus ad fidem ejusque vitam mortemve est consequentia, quàm ab halitu corporis ad vitam vel mortem corporis,

VI. Quid  
πνεῦμα  
Spiritus &

S. 25. Sed



§. 25. Sed ut ea, quæ hæcenus diximus, cum toto contextu Apostolico congruere, manifestum faciamus, integram illius paraphrasin à v. 12. usq; ad finem capituli sub-  
 jiciemus. Ita loquimini, & ita facite, tanquam qui per legem libertatis h. e. non qua-  
 tenus operibus servitutis ejus vita & salus promerenda est, sed quatenus de libertate  
 vestra, cujusmodi sit, sancta an profana, testimoniū ferre debet, judicandi estis, non  
 in hoc tantum seculo, sed & in futuro extremi diei judicio: quippe in quo e. g. judi-  
 cium condemnationis absq; omni misericordia & redemptionis spe feretur contra  
 omnes, qui misericordiam aliis in hoc seculo non præstiterunt; cum è contrario mi-  
 sericordia, quam quis in hoc seculo miseris exhibuit, certo argumento sit illi, quod  
 judicium misericordiae ad salutem ipsi obventurum sit, & gloriari possit conscientia  
 fidesq; illius, tanquam non mortua, sed viva, contra judicium condemnationis. Non  
 est, ut mihi quis hinc objiciat, etiam si quis opera misericordiae, & alia, non habeat, si  
 tñ, fidem habeat, & se habere dicat, salvandum tñ. esse, quædoquidem sola fides justi-  
 ficet, & salvum faciat hominem. Quamquam enim libenter fateor cum universa Ec-  
 clesia, quod sola fides justificet & salvet: non tñ. omnis fides est illa fides justificans &  
 salvifica, quæ sola justificat & salvat, sed quædam prorsus est mortua, quædam v. viva;  
 quarum illa est quæ opera non habet, hæc verò quæ opera habet: ut adeo ex operibus,  
 qualis sit fides justificans seu salvifica, nec ne, intelligi nec judicari possit debeatq;. Nā,  
 ut rem vobis magis declarem & probem: quid tum? & quæ utilitas? fratres mei; si  
 quis dicat, se habere fidem, sit a. ejusmodi fides, quæ opera non habeat num vos pu-  
 tabitis statim, hanc esse veram fidem justificans & salvificans? Atqui ego probabo  
 vobis, quod non sit. Quid n. Si frater aut soror nudi fuerint vestitus, & quotidiano  
 victu egentes; dicat a. aliquis vestrū illis; abite cum pace, calefcite & saturamini, non  
 tñ. dederitis illis, quæ sunt necessaria corpori: quæ, quælo, hinc vobis utilitas? num di-  
 ci poteritis verè misericordes? nonne hæc vestra misericordia, verba quidē bona, nō  
 a. opera habens, mortua erit? quia si viva foret, opera etiā misericordiae ederet. Sic E.,  
 etiam fides, si opera non habeat, mortua est secundū seipsam; non a. viva, quæ justifi-  
 care & salvare, adeoq; prodesse vobis possit. Sed & porro, si dixerit quis ejusmodi ho-  
 mi ni fidem sine operibus habenti; Tu fidē habes, & ego contra opera habeo: osten-  
 de mihi fidem tuam, & vivam esse proba ex operibus tuis (quæ nulla habes,) & ego  
 probabo tibi fidem meā vivam, esse ex operibus meis (quæ habeo.) Tu credis quidē  
 n. quod DEus unus sit in quo rectè facis, sed mihi non sufficit, nam etiā Diaboli  
 credunt, & contremiscunt. Si, inquam, ita quis dixerit illi, nonne pudebit, & obmu-  
 telcet? Verum (ut me ad ejusmodi hominem convertam) ô homo vane, num ista ti-  
 bi non satisfaciūt, sed ex Scriptura scire vis, quod fides sine operibus mortua sit? Au-  
 di. Abraham pater noster nonne ex operibus, tanquā veræ fidei argumento, justifi-  
 catus est per fidem, offerens Isaac filium suum super altari. (Certe ita est: expressè  
 enim dixit Dominus; nunc novi &c. indicans argumentum certitudinis. Vides E.,  
 quod fides illius (quæq; sine dubio viva fuit, non mortua) tanquam radix prima ope-  
 rū cooperata sit causæ proximæ ad bona opera, & vicissim ex operibus fides cognita  
 sit tanquam perfecta; & sic impleta est per hanc fidem tanquam vivam, non per aliā,  
 opera nō habentem, etiam prius quod dictum est: credidit Abraham DEO, & im-  
 putatum est illi in justitiam. Videtis E. hinc, ô fratres, quod ex operibus, tanquā ar-  
 gumento justificetur per fidem homo, adeoq; reverà illa demū fides viva sit & justifi-  
 ficans, quæ opera non habet, mortua, quæ non habet. Idem de R. habendum est.  
 Nam certissimum argumentū istud est: quia quàm certū est, corpus quod non re-  
 spirat, mortuū esse, tam certū est fidem sine operibus esse mortuam. Amen.

Sol: D E O. Gloria.



Umg. VI 19

ULB Halle 3  
003 144 232



TA 20L  
SR. 124: AMN: 00

VD 17 Z









DISPUTATIO THEOLOGICA;  
<sup>De</sup>  
**FIDE VIVA**  
**ET MORTUA,**

<sup>ex</sup>  
 Jacob. II. v. 17. 20. 26.

<sup>Quam</sup>  
*Auspice DEO Gratioso,*

PRÆSIDE

*VIRO, Maximè Reverendo, Amplissimo atq̃  
 Excellentissimo*

**DN. SEBASTIANO SCHMIDIO,**  
 SS. Theologiæ Doctore & Prof. Ordinario, Cele-  
 berrimo, Conventus Eccles. Præsidi Gravis-  
 simo,

*Dn. Patrono, Præceptore & Promotore suo multis no-  
 minibus suspiciendo, venerando,*

SOLENNITER defendet

**M. JOHANNES GEBHARDUS,**  
 Campidonensis.

*Ad diem Maji, b. lq̃. f.*

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS WILHELMI TIDEMAN,  
 ANNO M. DC. LXIX.

